



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

II. Vtrùm liberet Confessio aliquo modo à poena.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

*Caput V. De Effectibus et Utilitate*

*Quaestio II. Liberatne Confessio aliquo modo à poena?*

*Respōsio.* Confessio simul cum Absolutione habet vim liberandi à poena dupliciter:

Vno modo, ex ipsa vi Absolutionis, & sic quidem liberat à poena aeterna, sicut etiam à culpa; manet tamen adhuc obligatus ad poenam temporalem; eò quòd inter illius poenae magnitudinem, nostrarumq; virium imbecillitatē vix vlla sit proportio. Veruntamen virtute clauium ita minuitur, vt etiā in hac vita pro ea plenè satisfacere valeamus.

Alio modo, Confessio diminuit poenam propter annexam erubescētiā. Vnde fit, vt quòd sepius quis confiteatur, eò minorē tolerabilioremq; sibi reddat poenam.

*Quaestio III. Aperitne Confessio Paradisum?*

*Respōsio.* A Paradysi introitu prohibetur quis, per culpā, & reatū poenae: & quia huiusmodi impedimenta Cōfessio amouet; vt ex dictis patet, ideò dicitur Paradisum aperire.

*Quaestio IIII. Tribuítne Confessio spem salutis?*

*Respōsio.* Spes remissionis peccatorum nō est nobis, nisi per Christum, & quia homo per Cōfessionē se subiicit clauibus Ecclesiae, ex passione Christi virtutē habentibus, ideò dicitur quòd Confessio spem salutis tribuit.

Preterea cūm per Confessionem peccator plurimas consequatur virtutes, & hæc spem salutis